

runt: Nigrescere primum te oportet, antequam albescas: dein prius albescas, priusquam rubrefacias. Rubrefactio autem intelligenda est, plenarie & perfecte facere, quemadmodum Sol & Luna, ambo ista præstantia metalla, per coctionem, perfecta reddita, illorum essentia cum liquore omnino vnita, & simul omnia meri ignes reddita, atque à Veteribus rubrefactiones appellatæ fuerunt.

Et ea ipsa de caussa, dilecte amice, atque frater, ne Veterum sat corrupte scripti libri te in errorem conijciant, sed simpliciter metallicam naturam fundamentaliter cognoscere disciro, & tunc Veterum colloquia facillime intelliges, nec, cum cæteris Chemicis, hinc inde circumspicies, qui ex Veterum sententijs intelligunt, vel sibi saltem persuadent, quod substantia sumenda, quæ tam diu putrefacienda atque dissoluenda fiet, donec materia nigrescat: Quo facto eandem denuo abluendam, calcinandam, & elaborandam esse, donec nigredo euanescat, & albescere incipiat, ignisque tam longo itidem tempore augendus, ac tam diu calcinandum, laborandumue donec materia rubrescat, qui tamen omnino falsus, non Philosophicus, sed mere sophisticus labor est. Ita nunc omneis Veterum Philosophorum sententiæ pro ordine sophistico à rerum imperitis habentur: id quod sane Veteres haud illibenter intellexerunt, & ea ipsa de caussa adeo occulte scripserunt & loquuti sunt, vt quisquam ipsorum veram mentem vix assequi potuerit. Omneis equidem ad metalla monstrant, & Mercurij atque Sulphuris crebram mentionem faciunt, sed illa omnia saltem seductionis gratia. Et quamuis etiam metallica es-

Ll

sentia

*236. 26
The Chym. Vol. 1. p. 265*

*236. 26
The Chym. Vol. 1. p. 265*